

lia in superiores & inferiores distincta, tota facit convenienter officium: statæ sunt vices prædendi, cœnandi, laborandi, cubandi, surgendi, precandi: servatur denique pax & tranquillitas domestica. Et aliud quidem decorum est aulæ, aliud curiæ, aliud ecclesiæ, quæ est domus Dei. *Decorum ecclesiæ non est in auro, argento, statuis, casulis, cappis, aut ceremoniarum larvis:* sed ut locus sit commodus, vasa & instrumenta omnia sint munda, habitus pastorum decorus, actiones omnes publicæ & private absq; levitate, superstitione & sordibus, divinâ gravitate, modestia & pietate tam à docentib. quam à discentibus peragantur omnia, quasi in Dei & sanctorum angelorum conspectu. *Ordo vero est;* ut singula cōveniente tempore disposita sint in ecclesia: sic discretus ordo docentium & discentium; sint statæ vices concessionandi, precandi, psallendi, catechizandi, communicandi, baptizandi, & quæ hujus generis sunt alia: quibus & aīgīa cavetur,

A & ædificatio ecclesiæ ac singulorū quam maximè promovetur.

**DOCTRINA itaque generalis** hîc traditur: leges de decoro & ordine ecclesiæ circa ritus & externam disciplinam esse ecclesiæ libertati relictas: proinde non obligare conscientias per se; nisi libertas fiat cum scandalo: & denique legibus eiusmodi non coli Deum; sed ædificari ecclesiam ad Deum rite colendum, juxta ejus præscriptum. *Quod enim liberū relictum est,* ut sic vel sic fiat, & vel mutetur vel abrogetur, & contrario modo fiat, pro ecclesiæ arbitrio: id cultus Dei esse non potest. Alioqui Deus contrariis coleretur: quia ordo ecclesiasticus aliis atque aliis locis non modò diversus, sed saepe contrarius ad ædificationem facere potest. Benè igitur annotavit Calvinus, *hunc locum ostendere discrimen inter tyrannica papæ edicta; quæ conscientias premunt dira servitute: & inter piæ ecclesiæ leges, quibus disciplina & ordo continetur.*



## CAPITIS XV.

### Argumentum, partitio, analysis.

**S**eptima pars epistole; de fide resurrectionis mortuorum, quam toto hoc capite apostolus gravissimè afferuit: quia in Corinthiaca ecclesia eam argutiis querundam in dubium vocari, sive à Chloës familiaribus, sive ex Corinthiorum litteris cognoverat. Ostendit ergo, hoc articulo convulso universum evangelium & fidem Christianam convelli, omnem consolationem & spem salutis nostræ concidere, deniq; profanationem & epicureismum induci. Simul argutias objectas refutat, & non modò possibilitatem resurrectionis mortuorum ex natura ipsa demonstrat; sed & modum ejus atque ordinem propheticō spiritu prænunciat: tandem, ut in hac fide firmi atque immorti consistamus, hortatur.

P A R T E S capitinis sunt quatuor:

Ppp z